

C

C. l. 94

Alteyab. D. r. f.

or
H. 17

33

II 2 C. 35

~~2 N 35~~





SAMVELIS SCHARLACHI
DE
VITA HUMANA
CEBES.



HELMSTADII
Typis Jacobi Lucij
Anno MDCCXCV.

*Cl. et rev. v.
Danieli Saxo-
niae Cathedralis
Stalensis Pas-
fauton*

M. S.



Purpuræ regum tenues valet,
Et togæ pictæ Danaum: bene est, cui
Munere æternum superum vigebit
Purpura nomen

E. L.



*Ang. Politianus ad Laur:
Medicem.*

Dulce mihi quondam studium fuit, inui-
da sed me
Paupertas laceros terruit vncta sinus.
Nunc igitur quoniam vates fit fabula vulgi,
Esse reor satius cedere temporibus.





CHRISTOPHORO A DYHRN
Nobili Silesio

*Inueni perquam erudito.
Salutem.*

BXimia tua indoles, Christophore à Dyhrn, me mouit, vt quod antea Deo, & virtuti destinaram, tibi, quòd idem esset, opus inscriberem. Ex eo enim, quo in vnis ædibus sumus, ita viuis, vt alijs tui loci exemplo esse possis. Nihil enim eorum omnium in te desideratur, quæ ad summam virtutem facere videntur. Intelligis nimirum, quod perpauci possunt, te isto loco natum, cum primis eniti debere, vt maioribus tuis vel virtute præluceas, vel ijs certè, quoad eius fieri potest, par sis, qui ea excelluerunt. Ea enim demum vera nobilitas est, (vt sæpe tibi ostendis) virtute nobilem esse. Altera, quamquam & ipsa magnum bonum est; inferior multo est, quam vt dignitatem absque

virtute tueri possit. De literis nunc non lo-
quor, quas pleriq; negligunt. Ita nouo mor-
bo respublica moritur. Tu, quantum isto lo-
co natum decet, &, qui verè nobiles fue-
runt, non leuiter semper degustarunt, in ijs
profecisti. Quod, si vnus loquerer, fortasse
tibi adulari viderer, quo nihil à me alienius.
Sed agnoscit idem mecum, & vulgò prædi-
cat, Salomon Frenzelius, vir nobilis, omni-
que laude dignissimus, hospes noster, qui
cum parentes tui te huc miserunt, vt eum do-
mesticum animi, doctrinæq; informatorem,
& quasi magistrum haberes. Agnoscis hoc
& modeste, & fatis cum honore. Etsi ea es
ætate, vt tibi ipse pro magistro esse possis.
Quibus omnibus, & multis alijs nominibus,
gratulor, quà tibi, quà toti familiæ tuæ, domi
militiæque fortissimæ. Ego quoq; etsi ad in-
gens illud opus afferre pro re nihil magno-
pere possim; debeo tamen hoc ipsum ad ali-
os prædicare, quod res est. Neq; alio ferè fine
libellum hunc conscripsi: ex quo tamen ipso
aliquid fortè capias fructus. Et in primis enim
competit iste liber fortunatis, & fortunatio-
rum

rum filijs, qui ea, quæ appellant, virtutis ad-
minicula habent omnia, & minus impedi-
untur, quàm cæteri mortales, qui cum nulla
alia in re, in his ipsis sæpe deficiunt. Et ipse Ce-
bes, cum Socratis sapientissimi discipulus fu-
isset satis diu; aliam rationem vitæ ab eo non
didicit, quàm parua hac tabella est comple-
xus. Videbis hîc, vt Impositura omnes homi-
nes decipiat: vt passim mortales declinent à
vera via; alij ad voluptates, alij honores, alij
opes: pauci ad virtutem penetrent, & vitam
beatam. Quos simul animaduertes, animos
pravis cupiditatibus, & Tyrannide affectuū
per Eruditionem eluisse, & veris sententijs
imbuisse. Quam viam, semel ingressus, qui
perpetuò tenuerit, dubium non est, eum to-
to vitæ tempore, pacificè ac beatè, cùm alijs,
tùm quod præcipuum est palmarium, sibi ipsi
esse moderaturum. De te quidem ita planè
mihi polliceor; neque quicquam te hortari
præterea debeo, nisi

Quod facis, vt facias, teq; imitere, rogem.

Bene vale. Helmstadio Kalendis Ianuarij.
Anno cl. lb. xcv.

Samuel Scharlach Gardleg:

CEBETIS PHILOSOPHI.

De vita humana prudenter instituenda.

Ad Mylium:

T A B V L A.



DUm mala seditio, bellique infana Libido,
Reliquias virtutum, & Divinum religionem
Eruit, inque sua stant secula fixa ruina:
Ille ego securus tantorum, & pacis ami-
Diurna endosequar priscorum oracula vatum, (cus,
Qua semel institui vestigia certa viai:
Et viuos referabo amnes, laticesque Arethuse,
Vnde fluant molli passim per compita cliuo,
Edita doctrina sapientum sensa serena.

Tu Dea, quæ custos certa regis omnia lege,
Stultaque non pateris penitus brutescere secla,,
Adsis, ô Sapiencia! meque tua subeas vi
Cælitus incutiens sanam per pectora mentem,
Nam tu Diva tuo Naturam sola gubernas
Nutu, consilioque tuo res expetis omnes:
Nec sine te quicquam, dias in luminis auras
Protulit, illa Deum nobis immensa potestas.

Quo magis inuoco te, & studio perculsus inani,
Te sociam studeo scribundis versibus esse,
Quos ego de humana meditor conscribere vita,
Et parua in tabula totum depingere cursum
Myliadæ nostro: quem tu Dea tempore in omni
Multimodis clara voluisti excellere fama.

pictura.

Quod

Quod superest, cupidas aures mihi Myliade, & te
 Attentum præbe, atq; animo hæc pernosce sagaci,
 Ne tibi grande parent non intellecta periculum.
 Nam quod nunc dico, versuq; explano, perinde est,
 Ac si te Sphingis ænigma cuoluere inandem;
 Quod qui non potuere animo enodare sagaci,
 Lenonum pueri, pereunt mox limine in ipso,
 Errorisq; graues pœnas cum sanguine soluunt.
 Contrà qui potuere, volentibus omnia Diuis;
 Incolumes cedunt tuto, dextrisq; viant DIs.
 Namq; & in humanis Sphinx est Amentia rebus,
 Quæ miseros iugulat statim in ipso limine, & antè,
 Quam vix vitales gustassent luminis auras.

*Salutaris
 doctrina i-
 gnoratio et
 neglectio
 perniciofa.*

*Sphinx i-
 gnorantia
 Symbolum.*

Hoc tu si primo caueas, ad cætera possis
 Posterius leuiore animum contendere cura,
 Ordine quæ ternis disponam maxima septis.
 Vnde breui possis, nec multum ingente labore,
 Totum consilium vitæ, regimenq; tenere.

*TRIA
 SEPTA.*

Principiò Natura suos, quæcumq; videntur,
 Præstituit rebus ortus, obitusq; parauit,
 Quos ultra, citraq; vlli non contigit ire,
 Dum quidem & vnus homo mundo toti superescit.
 Sic canibus catulos similes, sic matribus hoedos
 Cernis: squammigeros producunt æquora pisces:
 Pictus aues æther: tellus fata grandia: demùm
 Certum, ac dispositum est, quid quoq; oriatur, & insit,
 Vnde habeant vires, donec voluentibus annis,
 Omnia paullatim videas tabescere, & ire
 Ad scopulum, spatio ætatis defessa vetusto.

Sic igitur iam hominè gigni ex mortale necessum
 Quod tibi difficili cura, quantoq; labore (est.
 Mox à principio fiat, si dicere pergam:
 Myli, Myli! hominum quam sunt pendencia filo
 Omnia!

Omnia ! quam paruo cuncti discrimine lethi,
Siue orimur, siue occidimus, seu deniq; nostrum
Viuimus in gemitu lacrumosum iugiter æuum.
Confer enim (prò sancta Deum immortaliaq; æuo
Numina !) fulci aliquis aruum genitalis, & aruo
Crescentem segetem, egressamq; in lumen aristam :
Quam pote sit per acum stupeum transire camelum.

Hic obstetricis nisi prouida Numinis esset
Natura officium, & Lucinæ functa labores :
Quottus quisq; cauis nostrum ex vteri labyrinthis,
Viuus prodiret vitæ eluctatus in auras ?
Cum benè præsertim multa obnitentia contrà
Membra, cruentatum vallentq;, premantq; canalem.

Iamq; ibi vt egressi sine cæde, & sanguine pauci
Nostrum pleriq; & rari, quos æquus amaui
Iuppiter; extemplo miseris cura altera restat;
Quod sese in spatium rectè dent, quidq; capeffant :
Et grauiter magni magno impingunt ibi casu.
Nimirum hæc propter simul atq; in luminis auras,
Nixibus ex aluo matris Natura profudit,
Vagitu intuimur solem primum illico, vt æquum est,
Quos tantum in vita restet transire malorum.

1. S E-
PT V M.
1. Via. Nam quod nunc primo cernis septum; area vitæ est,
Multiplicesq; vitæ : currunt omnes, Genius pro vt
Quemq; suus ducit, digitumq; intendit ad illas.

2. Senex. Nonne vides ? vt toruo vultu, vtq; ore minaci,
Socraticam mulcet propexam in pectora barbam,
Inter literulas medius, librosq; iacentes :
Intenditq; viam, qua sit tibi pergere porrò,
Vt possis placidè mortalem ducere vitam.

3. Turba. Sed statim enim ingressuris iam, vitæq; propinquis,
(Quos ante hinc septi primò proscenia cernis,
Artubus informes teneris colludere in herbis.)

Obuiat

Obuiat Impostura, suumq; in pocula magna
 Quod fudit, miseris virus lethale propinat,
 Vestibulum antè bibunt omnes non haustibus æquis,
 Plus alijs alij: cunctos tamen occupat Error
 Illico, & illecebris epota Inscitia prauis:
 Vt quo te vortas planè iam in limine aberres.
 Seu te virtutis studium, seu cæca cupido
 Suauiter attentet, nec enim æquis passibus errant,
 Qui in stadijs currunt: sed multos bruta voluptas
 Abripit incautos, scopuloq; infigit acuto:
 Queis patinæ arrident Epicuri, & pemmata furtim
 Plus quàm gnau' labos, & amor sincerus honesti.
 Quosdam spontè trahit scelerata libido volentes,
 Præcipitesq; duit geniali crimine pessum.
 Vt cum Tyndaridis formæ conflatus amore
 Ignis Alexandri, Phrygio sub pectore gliscens,
 Accendit patriam, clarusq; erumpit in ædes,
 Tandudum frustra misera occantante puella.
 Cætera de genere hoc, longum est, si dicere coner.
 Sic omnes videas in fumo, & polline secli,
 Errare, atq; viam palantes quærere vitæ.

5 Pocu-
 lum erro-
 ris & igno-
 rantia

Nam quas nunc iter ingressis, astare sequenter
 Ipso in vestibulo, ac vitæ limine cernis,
 Fallentes specie, & prostrati scorta pudoris:
 Hæ sunt quæ laciunt, & semitæ in auia ducunt,
 Titillantq; hominum mentes blandè, illice sensu.
 Nempe: voluptates, vaga Opinio, & ipsa Cupido,
 Seu Desiderium: indomitæ rectore quadrigæ.
 Hæ miseros rapiunt mortales, agmine denso,
 In diuersa viæ: nam quædam in tristia lethi
 Retia præcipites; quædam ad pia templa Salutis
 Ducunt: quisq; tamen pro se quæq; optima spondent.
 Illi autem ne quid possent discernere rectè,

6 Mulieres
 in porta.
 Opiniones
 Cupidita-
 tes
 Volupta-
 tes.

B

Moliri-



Moliriue moram, & veri perquirere caussas :

Impostura tenet mentes, & fascinat vltro

Pectora, lethali iamdudum faucia potu.

Ergo illæ quo cuiq; viam ostendere, sequuntur

Mortales passim, incerti quo semita ducat.

7 Fortuna

Iamq; introgressis, subito insinuare laborat,

De genere hoc aliud sese implacabile Numen;

Fortunam dicunt : quæ fortuito omnia vortit,

Nil certa statuens ratione, aut mente serena :

Sed quo prona trahit cuppedo, obnoxia pergit,

Aut oculis capta, aut surda intractabilis aure.

Atque quidem nunc hunc attollit, deprimit illum,

Nunc eadem premit, & vice versa subuehit illum :

Datq;, adimitq; vicissim inconstanti omnia nutu,

Nec quisquam illius sine poena præmia sumit.

8 Populi

qui incon-
siderati
dicuntur.

Hanc adeo multi obseruant, cultuq; Deorum

Sponte colunt, numero vix vt dignoscere possis,

An dices etiam, an rerum tantum omnium egeni.

Nam neq; veste modo lacera, sed splendidè amictu

Magnifico apparent, populi, regesque superbi.

Quos tamen illa omnes incautos ludificatur.

Saxum

rotundum.

Nonne vides ? Saxo Dea vti stet fixa rotundo,

Vt paullo impelli momento huc possit, & illuc.

Non ? procumbere humi stratos, & pandere palmas,

Mortales, pacem orantes, numenq; secundum;

Nequicquam : quoniam violento turbine sæpe

Rapta tamen, nihilo fertur minus omnia contra.

Vsq; adeo nihil est brutæ confidere sorti! (spe,

Quisque auidè tamen ista petunt, & magna vorāt

Quæ sprete in vulgus porgit, discrimine nullo.

Atq; quidem accipiunt alij, alij frustrantur.

Hinc est, quod cernis vultu gaudere sereno,

Quosdam deiecto gemere, & transuersa tueri.

Nimi-

Nimirum arrisit Sors his; his postera tergum
Obuertit, vanoque animos lactauit amore.

Atq; hoc est primum septū, quod diximus, illud.
Cæterum, vti cernis, num sint ea præmia verè,
Et numquid verè bona sint, vt dico cluere,
Quæ Fors mortales tam stultè diuidit inter:
Nobilitas, patrimonium, opes & robur: honores,
Gloria, libertas, regnum, imperium, vxor, & eius
Mille modi, quæcunq; homini contingere possunt:
Tempus erit, quando de illis etiam omnia planè
Deliquem, & insani subeam maledicta popelli.
Nunc tibi, quæ porro restat turba, antè videnda est.

Nam qui se nostrum insinuant audacter amorem,
Et quibus est aliquid fors elargita recenter,
Obseruant: hi sunt, septo quos nosce secundo:
Virginis os, habitumq; gerentes; cætera scorta.
Luxus, auaritia infelix, parasitica, fastus,
Imposq; ipsa sui mens, indulgente magistro;
Cæteraq; ex genere hoc, quæ res plerumq; secundas
Obstipant, retroq; pedem cum sorte repressant.
Qualis nigra lacus circumuolitauit hirundo.
Nam simul ac species patefacta est verna diei,
Atq; altos sol iungit equos, in fitq; calere:
Aduolat vltro-animis ad nos, ædesque frequentat
Cantibus; interea nostris operata impensis,
Antiquo luteum figens in pariete pondus.
At cum auersus equos nostra sol iungit ab vrbe,
Tarda que decurrunt iam stagna, & flumina restant:
Illa alio calidam quærit sub sidere terram,
Nec toto apparet rursus conspecta decembre.

Sic turba id genus, & quos appellamus, Amici,
Vltro se inuitant, nullo poscente, salutant
Blanditer, obseruant, deducunt, concomitantur,

B 2

Donec

*Bona &
mala For-
tuna.*

*Munera
fortuna.*

*II SE-
PTVM.*

*I Mulie-
res extra
septum
Luxuria.
Auaritia
Adulatio
Superba
Inconti-
nentia.*

Amicitia.

Donec vultu aliqua arridet Fortuna benigno.
Quæ simul ac tergum obuertit, retroque recedit:
Diffugiunt subito, ceu tempestate coorta,
Diffugere armenta, & volucres, nautasq; videmus
In tabulis, alios alias telluris in oras.
Vnica auaritiæ inueteratæ tristis imago
Perstat, & ad multam perdurat fida senectam.
Quam simul vt possis studio vitare fideli;
Diuitias grandes mortalibus esse memento,
Viuere parcè, animo æquo, & magnis propitijs Dis.
Et tamen ardor habet multos infanus habendi;
Nescio quo ducit trans auroram, & glaciale
Oceanum: superant montes, & flumina tranant;
Vt possint magnum concludere numen in arca,
Et seruare sibi curam, certumq; dolorem;
Nequicquam: quoniam violento turbine sæpè
Fit rabies correpta, feruntq; incendia venti,
Omniaq; exiguo momento in puluere vertunt.
Vsq; adeo pulcrum conatum, hominumq; laborem,
Proculcare, ac ludibrio sibi habere videntur.
Sæpè etiam immensum cælo venit agmen aquarum,
Ingentesq; ruit siluas cum stirpibus imis:
Et pulcrum patrimonium ibi, & bene parta parètum,
Antiquasq; domos, pelagi super æquora verrit,
Per terrarum omnes oras sublime natantes:
Vt videantur, & indicium mortalibus edant,
Infidæ insidias fortis, viresque, dolumq;,
Vt vitare velint, neue vllò tempore credant,
Subdola cum ridet placidæ pellacia Diuæ.

Hoc igitur caueas, qui ad metam tendere pergis,
Ne quo te abripiat, scopuloque infigat acuto
Nauifragum, amissis rebus cunctis, vbi adhærens,
Non possis cæptum vitæ pertendere cursum.

Nam,

Nam, tibi vti dixi, ludunt ad tempus, & ingens
Dedecus occultant, polcia quod veste tegebant.
Inprimis luxus, quem dicunt, & Veneris res.
Sed simul atque dies, & filia temporis illud
Protulit in medium, claraq; in luce retexit:
Tunc verò manifesta fides, illæque patefcunt
Infidiæ: interdum medioq; à fonte leporum,
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.
Et iucundo oppressa sopore in pectore cura
Antea, ibi experge factum caput erigere in fit,
Præteritisq; admissa annis peccata remordent,
(Heu sero) tædet cæli conuexa tueri,
Ad confligendum venientibus vndiq; curis.

*Fallacia
mulierum*

Iamq; vbi nominibus multis, atq; ære alieno
Obstricti, nostras inscribere cogimur ædes,
Et patriæ fines, & dulcia linquimus arua,
Incerti quo fata ferant: famis vltima tentat
Opprobrium, & duris vrgens in rebus egestas.
Ergo malas artes discit; periuria, fraudes,
Furta, latrocinia, & scelerum sexcenta reperta:
Queis pariter lenio confectis artubus, vti
Postquam desitum: ibi demùm tum Poena subintrat
Illa grauis, quam fronte vides, & fuste minari;
Et secum ingentem ducit post terga cateruam.

*2. Conscien
tia*

2. Pena

Principio ad genua vsq; caput quæ scemina mittit,
Mœstitia est; lacerat passos Aerumna capillos:
Squalidus hinc Luctus, nudus, vix ossibus hærens,
Incedit, sequiturq;, & ferrum porgit, eidem
Non multum absimilis, deiecta, edentula, macra,
Desperatio: (DI terris auertite talem)
His porrò, quia nulla alia est via visa salutis,
Traditur in pœnas, atq; horribiles cruciatus.
Iuxta sunt Infortunatorum Insulæ, & ingens

*Mœstitia
Aerumna
Luctus
Desperatio*

Infelicitas

*4 Pen-
tentia.*

Vastities : habitant morbi, tristisque senectus.
Quò demum emeritus solis detruditur agris,
Ut reliquum vitæ, cunctosq; ob dedecus, annos
Exigat : auxilio nisi forte occurrat, & illum
Paullatim ad frugem sapiens Metanœa reducat,
Mox à principio, atq; erroris tempore primo.

Nam fit, vti melior menti quandoq; cupedo
Surgat, quæ doceat, quo quicq; euadere possis,
Et duram tolerare famem, vitæq; laborem.
Et vel corporeis eniti viribus vrget,
Moliri egregium manibus, contendere dextra,
Noctes, atq; dies niti præstante labore :
Aut animi irritat dotes, digitoque resignat,
Edita doctrina sapientum tēpla serena.
Quam qui aptus veram est, solidāq; & victor amœno
Detulit ex Helicone perenni frunde coronam,
Per medias vitæ tenebras quæ clara niteret:
Ille Deū vitam accepit, sortemq; beatorum,
Expers inuidiæ planè, vanique timoris.

*5 Falsa
nominis
eruditio.*

Contra, qui falsi doctrinam nominis apti :
Exitij gladios ipsi sibi, & arma ministrant,
Fluctibus impliciti dubijs, densisque tenebris.
Nam quam stare vides benè culto corpore Nympham
Vestibulum ante ipsum, venientesq; excipere vltro,
Moliriq; moram, & veniendi quærere causas :
Nimirum hæc falsi Doctrina est nominis illa.
Quo, qui iter vltèrius porrò penetralia in ipsa
Affectant, animum intenti veram ad rationem,
Diuertunt prius, & multo sermone morantur.
Quò fit, vti pauci sese intra septa receptent,
Quos persuasio habet, & stulta Philautia captos,

*Non Serè
docti.*

Hic Oratores hærent, de plebe Poëtæ
Astrologi, Critici, Cytharædi, & maxima turba

Iuri-

Iuridicorum hominum, vates, atq; id genus omnes
Insulsi, fatui, bardi, inscitique magistri.
Non quod non possint hi sese emergere porrò,
Et verè docti ad normam, cultique cluere:
Sed quod vestibulo in nudo plæriq; tenent se,
Quos fallax specie rationis Opinio lusit.
Namq; etiã huc nonnumquam, sed rarò, illa putandũ
Endogredi, primo quæ in septo scorta fuerunt
Visa: Voluptates, brutæq; cupidinis æstus,
Ipsaq; peruersis interdum Amentia factis.
Vsq; adeò illa tenent, quæ supra pocla biberunt
Errorum ad fontes, & vestibulum Imposituræ,
Quò primùm appulerant: pauci quos viuida mentis
Vis agit, eluctati fumo, & polline secli,
Inuenère tamen, qua sit pertendere porrò,
Et fallacem oculis Diuam depellere nostris.
Illa suis late defossis incubat vmbriis,
Hic vbi longe vltra flammantia mœnia mundi
Immemores lethæ subter-labentis ad vndas
Obteritur: nos exæquat victoria cælo.

Nam tibi nunc aliud porro quod cernere septum est,
Et qua quemque via sit opus conscendere, dicam,
Insignemque tuo capiti petere inde coronam.

Est in sublimi locus ingens, omnia circum
Inculta, asperitate soli, ac deserta videntur;
Ianuaq; exilis; via vix angusta, neq; illa
Vsq; frequens adeò: sed duris sentibus horrens,
Asperaque, & præceps præruptis vndique saxis.
Excelsus iuxta tumulus, collisque vetustus
Cernitur, & cælum ex paruo adspicit interuallo:
Difficiles aditus, & quantum vertice in astra
Surgit, tantum imo stygias pede despicit vndas,
Plutonisque domum crudelem, & regna silentum.

(est

*Falsi no-
minis eru-
ditio, nul-
lis errori-
bus, & ijs
& malis
liberat.*

*III SE-
PTVM.
Via ad Ve-
ram erudi-
tionem.
Locus edi-
tus.
Ianua.
Via.*

Tumulus.

Aditus.

Hoc

Hoc iter ad veram est Doctrinam, hæc semita: rupe

Rupes.

VERA

ERVDI-

TIO

Continen-

tia & tole-

rantia.

Ardua vbi illa sedet duris circumdata scrupis,
Ante duæ fortes stant obnixæ omnia contra,
Corpore præclaræ, atque ætatis robore nymphæ:
Victrix vna sui est, alia est Tolerantia virgo,
Vna matre fatæ, præfractis viribus ambæ.

Quodque manus illas alacres protendere cernis
Obuiam, & hortari venientes omnibus oris:
Hoc faciunt, ne forte viæ asperitate, locique
Desperent deterriti, & extra septa recedant.
Nam sæpe ad summum multi contendere culmen
Certantes, iter infestum fecere viai:

Et tamen in medio cursu, iam vertice viso,
Substiterunt, pertæsi operæ, durique laboris,
Iamdudum frustra obnitentibus omnia Diuis.

Iamque vbi per portam ingressi, collesq; minari
Destiterunt: superata via, exhaustiq; labores
Ad plenum: ipsa super celsa sedet edita rupe:
Nulla tamen superat, quæ ad rupem semita scandat:
Sed Fiducia opus nostri, auxilioque Dearum.

Robur

&

Fiducia.

Ergo etiam ipsæ ad nos paullatim rupibus altis
Declinant, fractisque animos, viresque ministrant.

Per varios casus ita, per discrimina rerum,
Tendimus ad veram enixi vitæ rationem,
Et loca Doctrinæ, sedes vbi fata quietas
Ostendunt: auro liquidoque nitent electro,

Beatorum

domicili-

um.

Virtus.

Beatitudo.

Saxum

quadra-

rum.

Templa Beatorum, elysiique in gramine campi,
Vndique lux: habitant virtus, & vita beata.

Quodque vides Diuam quadrato insistere saxo,
In partes secto, factoque affabrè ad amissim:
Ostendit, non fluxa eius bona, vti modò noras
Munera Fortunæ, sed firma, & fixa manere.
Quæ diuinitus æterna donata salute,

Perpetuo

Perpetuo possint æui durantia tractu,
Immensi validas æui contemnere vires.
O loca amæna bonis tantis ! nec præmia cessant.
Stant & Suadela, & veri vos Numina circum,
Doctrinæ dulces natæ, flos ipse iuuentæ ;
Depromuntque recens thesauris illa parentis
Munera, cultoresque ea contestantur in omnes.
Cætera de genere hoc ; vti sunt: Fiducia, Vita
Secura, atque animus tranquillus , nullius vltro
Ad finis sceleris, sed seruantissimus æqui.
Quem non ira Deum, non telum immane Diones,
Fulminis horribili cum plaga torrida tellus
Contremit, & magnum percurrunt murmura cœlum,
Et metuunt gentes sibi, correpuntq; timore,
Compressit : stat casus exporrectus in omnes,
Atq; metus omnes, & inexorabile fatum,
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.
Cum contra extorres alios, longeq; fugatos
Conspectu ex hominum, fœdatos crimine turpi,
Omnibus ærumnis adfectos viuere cernas,
Et quasi iam lethi portas cunctarier ante,
Leniter in folijs vixdum insurgentibus austris.

Quod restat, postquam ingressus semel omnia versu
Pandere, teque meis dictis formare beatum:
Nunc te virtutum porro penetralia in ipsa
Deducam mecum, celsaque in sede locabo:
Sed purgato opus est animo, sed pectore puro,
Quo sine nulla coli potis est verè, atq; beatè.
Ergo stat ante aditus, nec, quamuis proxima, septum
Irruit extemplo, Doctrinæ dulcis imago.
Verum flagitijs errorum, ac sordibus æui
Expurgat primum, quem mox in regia ducat
Atria, virtutumq; optata protegat vmbra.

C

Vt sunt,

*Veritas.
et Suadela.*

*Premia
doctrina
Fiducia.
Securitas.
Tranquil-
litas.*

*Vis erudi-
tionis pur-
gatrix*

Vt sunt, quos illi haustus Impostura latenter
Subdiderat, sentinam errorum, & bruta voluptas:

Excrementa purgatorum. Fastus, Auaritia infelix, Parasitica, luxus,
Ambitio: pravi adfectus, amor, ira, metusque,
Cæteraque id genus, ingressu quæ prima bibisset:

Quæ simul ac dextro successit fidere cura,
Suppeditans præcepta, suisque ex incluta chartis
Vera docens certa ratione, atque aurea dicta,
Aurea perpetua semper dignissima vita:

Virtutum domicilium. Tum demum porrò lustratum in regia sistit
Atria. stant castæ circum longo ordine matres,
Simplex in vultu grauitas, in veste decorum:
Nil fermè ad luxum factum, mediocria cuncta.

Scientia Quarum quæ prima est præstante scientia forma,
Excipit, & blandè venientem amplectitur vlnis.

Iustitia. Consequitur, lancem, ferrumq; cui addidit ætas:

Fortitudo Fortiaque aduersis opponens pectora rebus.

Liberaltas. Proxima iucundo fit munificentia vultu.

Temperantia. Tum quæ mensura res temperat apta, modoque:

Et natæ natarum, & quæ nascentur ab illis,
Quas tibi nunc cunctas, longum est, si dicere coner:
Omnes excipiunt illum, atq; in regia ducunt

Beatitudo. Tecta, suam ad matrem, quæ regnat: Vita beata.

Quam, mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Non possim versu dignè memorare sequaci:

Vt viridi longè supra omnes edita rupes,

Marmore confideat, molli suffulta hiacyntho,

Et quasset triplicem ex auro gemmata ccronam.

Ipsè aliquando tamen, si quid pia carmina possunt,

Si quid vota valent, olim experiere beatus.

Victoria Iamq; triumphales superest deducere currus,

Et triumphus. Disiectasq; acies, spolia, exuuiasq; videre.

Principiò spreto iacet Impostura sepulcro

Impia:

Impia: stant mœstæ circum longo ordine natæ,
Supplicio addictæ: vitiorum tota propago:
Et frustra veniam votis adit, ac prece quæsit
Victorum pauitans paces, mentesque secundas.
Olli inter sese victricis tempora lauri
Frunde coronati incedunt, passimq; per herbas
Festa die celebrant, & noctu vina coronant.
Tantus amor laudum, tantæ victoria curæ.

Hinc porro æternæ redimitum tempora lauri
Frunde beatifica, vani expertemq; timoris;
Retrò virtutes, turba comitante Deorum,
Deducunt, vitæque priora in septa remittunt:
Endotuique iubent alios, passimque videre
Errare, atq; viam palantes quærere vitæ.

Quæ pridem mala non ita apertè aduerterat antè,
Ebrius errorem lue, & haustibus Imposturæ.
Ut quosdam Ambitio, laudumque insana cupido
Eruat, inque suam conentur stulta ruinam
Secula: partem arrectos spe per saxa, per ignes,
Ad summas contendere opes, coramq; perire:
Tristibus ardere iris, diffuere illice luxu:

Maceret inuidia ante oculos, alium esse potentem,
Illum adspectari, clarus qui incedit honore;
Ipsi se in tenebris volui cœnoque querantur:
Quæis ipse expers nunc cunctis, tamen illa licenter
Adspiciat, lætaque oculos in imagine pascit.
Non, quia vexari quemquam est iucunda voluptas,
Sed quibus ipse malis careas quia cernere suaue est.

Deniq; sic iterum ingressum sequitur comes ipsa
Libertas, quæ fera tamen respexit amantem.
Ut possit veluti iam inter spelæa ferarum,
Fluctibus in medijs vitæ, densisque tenebris,
Versari tutò, nec multum secla timere:

C 2

Ac si

Corona.

Spectacu-
lum infe-
licium.

Libertas



Ac si Coryceis ætatem degeret antris.
Aduorsus nulli, facile omnes ferre, patique,
Omnibus acceptus, cunctisque bono emolumento.
Quo videas populos passim oris omnibus ire,
Sicut Apollinis ad tripodes, responsa petentes.
Ut qui sensa habeat communis sobria vitæ,
Vnde queat passim mortales recta monere,
Menteque diuina cœlum, terrasque petissat.

*Tranquil-
litas & va-
catio à
perturba-
tionibus.*

Nec tranquillius abest animus, nec conscia recti
Mens suavi sensu, cura semota, metuque.
Nec iam hostes metuit, quocumq; ij nomine tandem
Appellentur, vt adfectus: amor, ira metusq;,
Ambitio, & cunctos: quos longo tempore vicit,
Imperioque suo subiecit, possit vti iam,
Parcere subiectis, aut debellare superbos.

Coronati.

Atque quidem stadio decurso, & mole laborum,
Hic omnes simul exporrecta fronte, caputque
Frunde coronati tumulo, ornatique recedunt,
Spectaclum in terris miserorum ante ora videntes.

Inornati.

Contra quos desperabundos cedere cernis,
Deiecto vultu, cæso ore, & corpore lasso,
Cruribus attritis: hi sunt, qui reppudiati,
Et male mulctati à Doctrina, regia numquam
In loca virtutis veniunt, vitamque beatam.
Sed partem intuitu deterriti, & agmine molis,
Sponte retrocedunt, partem ipsa irata remittit.
Quos vel proposito infelix Ignauia tardat,
Mox vbi se prima ostendit Tolerantia fronte:
Aut has ne possent naturæ accedere partes,
Frigidus obsedit cricum præcordia sanguis.

*Comites
ignauo-
rum.*

Ergo isti tristes abeunt, nulloque vagantur
Ordine, vel numero: comitantur pone sequuta,
Prauum iudicium, Maledicta, Opprobria, Damnum,
Exci-

Excipiunt Aerumnæ, & multa Molestia; porrò
Desperatio, ignominia, atque Inscitia densa.

Hi verò primùm in septum, cum ad Luxuriæ ædem,
Ac Intemperiem redeunt; mala multa repentè
Doctrinæ matri dicunt, eiusque ministris.

*Semidocti
maledici.*

Hosque quidem miseros, ærumnososque vocantes:

Illos qui nihil in communem consulere vsum

Possint, vel summè si possint, fortiter ausint,

Vt vehemens illos fulmen ruat, & pater æther,

Sic meritos, sentina hominum, à qua tùm exonerare

Iam sese dudum frustra Natura laborat.

Quin etiam stolidos ausi, bardosq; vocare:

Qui vitæ ignorent, quæ appellant commoda, Luxum

Atq; Voluptates. Nam brutùm more madere

Affiduè, & veteri abdomen distendere villo,

Vtilis hunc vitæ fructum, & bona maxima rentur.

Vidistin' posita vt cum conuenere lucerna,

Olli inter sese prægrandia pocula trudunt

In numerum, perduntq; bonum certamine vinum,

Et miseras animas certatim in tartara mittunt.

Hinc etenim populis lites, hinc prælia regnis

Gliscunt, & toto sæuit Mars impius orbe,

Pectus vbi incaluit vino, & subit atra animo vis.

Nec pretium est operæ iam dudum ingrata referre;

Factum est in terris quicquid Discordia iussit,

Nec minus id nunc est, nec erit mox, quàm fuit antè.

Postremò hîc etiam stantes, illincq; profectas,

Vultu plus exporrecto, quàm primitus illæ,

Fœminei cernis sexus, variasque figuras:

Quas vno mater simul edit opinio partu,

Formarum innumeras species, dubiasq; figuras.

Namq; hæ sunt veluti naus, quæ per mare vectos,

Ad matrem adducunt Doctrinarum erudiendos

*Peruer-
sum iudi-
cium.*

*Opinio-
num dis-
cursatio.*

Mortales cupidos, quos mox cum in limine primo
Deposuerunt, retrorsum ipsæ cum naue recedunt,
Adducturæ alios: nec in ipsam protinus ædem
Virtutis scandunt, quæ aduersa scientia primo
Ingressu sedet, & dictis pia pectora mulcet.

*Genij præ-
cepta.*

Quod superest, Genius moneat quid quemq; videdū
Nunc, & falsa reuellendum, & quæ sana, tenendum
Vos vos DI faciles illi! qui talia nobis, (est.
Pectore parta suo, quæsitæq; præmia liquit,
Enthea progenies, & sanguis DI s oriundus.

*Fortuna
non fiden-
dum.*

Principiò, laxo quam dixi stare rotundo,
Fortunam, cunctas variè mutabilem in horas:
Hanc caueas monet, & nimium ne deniq; credas.

*Fortuna
Luna.*

Nam veluti solis cursum, lunæque meatus
Cernis: quæ pleno cum iam resplenduit orbe;
Paullatim amisso mox lumine deficit, vsque
Dum penitus cœlo comparet nulla sereno:
Sic eadem varijs vicibus mortalia ludit
Pectora, nec stabili potis est consistere cursu,

Vitrea.

Corpore præterea vitreo est, dum maxima splendet,
Frangitur, & vultu nimium metuenda sereno est.
Ergo illi fidem habere vetat, tutumq; putare,
Contigit illius nobis quod munere solo:
Fortunæ nemo sine pœna præmia sumit.
Sed quæ iusta hodiè dedit, irata eripiet cras
Illico, & alterius messem traducet in agros.

Ergo nimis gaudere vetat si munere largo
Contigit illius quicquam, contraque dolore
Emori, vbi rapuit, quæ solo commodat vsu.
Omnia enim temerè facere, & nil consulere antè.
Neue imitere malos mensarum diribitores;
Qui cum versuram faciunt, aut fœnore sumunt;
Accipiunt grati quæ post repetita queruntur.

Nimi-

Nimirum obliti, qua conditione dabantur.
Nam cum sorte perinde est, ac si mutuum vbi ores,
Utendumue roges, quod herus mox ipse reposcat,
Reddere si tardes, aut mox non iussa remittas:
Sic vbi quæ nobis largita est mutua; nosse
Fortunam memorem exactorem semper oportet.

*Mutuum
Fortuna.*

Quare ita eis vti iubet, vt quæ nulla potestas
Nostra sit, aut data reijcere, aut repetita negare.
Contra te iubet illa amplecti, illisque parandis
Intentum esse bonis, quæ nulla iniuria fortis,
Non æui longinqua valet mutare vetustas.
Qualia sunt, quæ vera tibi Doctrina propinat.
Hæc iubet accipere audacter, firmumque tenere,
His impendere opes Fortunæ, his cætera quæque,
Si quæ cesserunt dono tibi mutua Diuum.

*Eruditio-
nis munera
expeten-
da.*

Rursum omnes fugere illecebras Cuppedinis, & cum
Hospes luxuriæ septum, voluentibus annis,
Appuleris, speciesque animum lactabit amantem:
Linquere pollutum hospitium, nec fidere formæ.

*Volupta-
tes fugien-
da.*

Donicum ad falsi Doctrinam nominis olim
Progressus, magna defunctus parte laborum:
Hic aliquantisper monet intra septa morari,
Nec monita aspernari: sed discrimine facto,
Quæcunq; vtiliter monet, intellecta libenter
Accipere, atque loco seruata viatici habere.
Post celeri cursu tamen inde, citisq; quadrigis,
Ad veræ monitum Doctrinæ pergere templa.

*Falsa eru-
ditionis
muneribus
utendum.*

Atq; hæc illa senis sunt recte-dicta beati
Pleraque, quæ si quis studio disposita fideli,
Intellecta capit minus, aut contemta relinquit:
Ille procul dubio, furijs discerptus, & exul
Felicis vitæ, miseranda cæde peribit.
Quod si nunc porro de horum vnoquoq; lubido,

Quære-

Quærere te tenet, & veluti neglecta videre,
Endosequar: gratas etiam bos ruminat herbas.

Principio, à falsi Doctrina nominis, ille,
Quæras, præcipiat Genius quid quemq; rogare:
Pol multum, nec quod temerè quis forte recuset.
Semper enim rectè monitis quo vtaris, habebis,
Vt nummis. hæ sunt igitur mortalibus Artes,
Et Disciplinæ, tibi vt vno nomine dicam.
Quas etiam Plato ait, esse addita frena iuuentæ,
Ne dilabatur distracta in deuia vitæ.

Quæ quidem ad exemplar veræ virtutis, & ingens
Illud opus, nil per sese constare necessum est.

*Artes libe-
rales non
quidem
necessarias
sed tamen
commodas
studioso
Virtutis.
Non verè
eruditi
que vitiosi
acceteri
mortales.*

Quæ tamen & si quis sciat, & cognouerit vti;
Commodius possit multo ad maiora venire.

Vt si cui libeat quicquam ex interprete nosse,
Nec tamen obfuerit si græcè intelligat idem:
Multa queat rectè nempe, & iucunda videre.

Non igitur reliquis multum præstare putemus,
Illis qui sunt imbuti, aut leuiore labore

Posse viros fieri meliores, quàm qui ea numquam
Attigerint: cum nec veri discrimina norint,
Nec quidquam magis ad rem, quàm de plebe senator,
Aut sentire queant, aut respondere rogati.
Vtpote adhuc omni vitiorum labe retenti.

Nec quid enim vetat, vt cunctas quis nouerit artes,
Et disciplinas; & sit tamen ebrius æquè,
Proditor, impurus, non iustus, denique & amens.
Vsq; adeo disciplina nil prærogat vlli.

Namque artes, linguæ, & linguarum nomina certa,
Et quæ sunt huius generis quoq; cætera multa:
His etiam posset sine rebus vita manere,
Et constat multas etiam nunc viuere gentes:
At bene non poterat sine puro pectore viui.

Quo

Quo magis hic etiam id forsan mirere, secundo
Cur septo tamen incedant, ut iam propiores
Veræ Doctrinæ, à qua ipsi omnium abesse videntur:
Quos capiant igitur fructus: quod sæpe videre est,
Multos è primo eluctatos, tendere rectà
Mox ad Doctrinam & virtutem protinus ipsam:
Ut qui luxuria, & vitijs iam liberi, eosdem
Prætereant artis studiosos, & rei honestæ.

Hoc fit, quod septo, ut dixi, plerique secundo,
Ut nil præterea, id peccent certè, atque putent se,
Scire ea, quæ numquam didicerunt, atq; ita seipfos
Decipiunt: illos quæ quamdiu opinio captos
Præva tenet, numquam ad virtutem emergere possunt,
Nec magis ad vitæ rationem afferre beatæ,
Quam quos nulla tenet planè doctrina peritos.
Ni forte his etiam Metanœa in tempore rursus
Obuiet, & vanæ Doctrinæ detegat umbram.
Quæ animaduertis, aliò conuertere mentem
Incipiant, animum intenti veram ad rationem.

Vos ergo ò Iuvenes! etiam quos plurima iam nunc
Vestibulum ante ipsum Doctrinæ detinet umbra,
Speq; rudes lætæ mentes, nisi eò magis acrem
Virtutem irritent animi, confringere ut arcta
Doctrinæ porrò portarum claustra queatis:
Nec fuerit totos in libris condere soles
Pertælum, non ætatem, ad surgentia solis
Lumina, mane nouo, & vigiles nocturnum ad oliuum:
Donec post habitu factò, parto que triumpho,
Perpetua ex Helicone feratis frunde coronam,
Egregie cuiti, & rectam benè docti ad amissim:
(Nam repetito vsus fit, solertique labore.)
Nil studio vobis hæc degustasse fideli
Proderit, ingenti que animum tenuasse labore:

*Labore &
constantia*

D

Sed

Sed magis à vobis Diua indignata recedet,
Et cum maturas speres terere horrea fruges ;
Exspectata seges vanis eludet auenis.

Sic igitur geminæ rationem ostendere paucis
Institui vitæ, & recto te assuescere, Myli,
Cursu, quem manibus, pedibusq; tenere necessum est,
Si non omnino, ac penitus brutescere malis.

Cætera nunc possis per te tute ipse videre,
Aut ego mox alia ingressus ratione docebo :

Quæ, vereor ne tarda prius per membra senectus
Serpat, & in nobis vitai claustra resoluat,

Quam tibi iucundo pertexam singula versu.

Interea cursus, quos prima à parte iuuentæ,

Quosque adeo multa doctrina, vsuq; petisti,

Hos retine, atq; auge famam, laudesq; bonorum.

Quod superest, Mors ostendit, quid quisq; secutus.

Nam qui vera bona, ac vitæ vestigia legit

Recta, per ambages non ad scelerum improba facta

Seductus : vita tandem tranquilliter acta,

Decedit, saturus rerum, campiq; per herbas

Elysij placida compositus pace quiescit.

Contrà, obnixi alij vitæ veræ rationi :

Quos nec fama Deum, nec fulmina, nec minitanti

Murmure compressit coelum, non sancta futuri

Relligio à vitijsvlla virtute redemit :

Cernis, vti miserè toto se tempore cursus

Excruciant, vitamque extrema per omnia ducunt.

Et veluti nullum tranquillum spiritum, ad vsquè

Extremum vitæ duxerunt, sic quoque tandem

Et luctantem animam multa vi deniq; fundunt,

Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub vmbra,

A. D. O.

LECTO.

LECTORI S.

VT pictura Poësis erit. Vtraq; enim ars sua
habet *μυροθηνια*, sua pigmenta. Itaque cum
obscure aliquid inter Poëtas iacere vellem,
nihil fuit pictura hac visum potius. Cùm e-
nim casu incidissem in tabulam amplissimã,
quæ exstat publicè, mirificè affectus, cum di-
uina rerum inuentione, tùm eleganti earum
ad oculum demonstratione, dignam putauì,
cui secundam tincturam & togam Poëticam
aliquis indueret. Neq; enim melius operam
poneret. Ita è vestigio contuli me ad scripro-
rem ipsum, qui est Cebes, Socratis discipu-
lus, qui primus tabulam hanc græce conscri-
psit, in eaq; totam benè viuendi rationem o-
stendit, vt facile in ea magister emereret Socrates.
Hanc tibi, Lector, donamus, carmine
vetere, & stylo. Ex eo enim, quo in Aca-
demias primùm veni (nouem hi ipsi sunt an-
ni) semper antiquitate mirificè delector. Cu-
ius mei siue studij, siue superstitionis, vsq; a-
deo retinens sum, vt in hoc ipso scripto nihil
à me alienum facere debuerim, ex quo ta-
men ipso forte aliquid capias fructus. Et in-

primis enim competit iste liber illis, qui primū vitam ingrediuntur, vel non multos tanē passus in ea progressi fuerunt. Nam de cœteris difficile est pronunciare. Qua in re si commodo tuo multum inseruierimus, nullum præterea pretium auarē arti nostræ statuimus. Virtutem enim puram amamus. Nolim tamen te moueri sic ubi aliorum, Lucretij in primis, versus repereris hic plusculos. Lubentes eis vsos & fortasse abusos esse, ex ante nunc testamur, ne tu dolo malo fecisse existimes. Omitto quod interpretem hīc, quam poētā agere, libuit magis. Neq; inuidebimus, alij si quid rectius inuenerint. Interim hæc nostra aut ipse lege, aut si fumus tibi ingratus (solet enim) alios sine. Ita sis saluus.

*P. A. 4. facie 2. si offenderis Gore (stuprum) ne longa sit, per me
vel quiduis repone. Veteres ubi ubi produunt, scribunt: Stuppea.*

F I N I S.

154886

AB 154886

ULB Halle


3


003 009 254



fu







SAMVELIS SCHARLACHI
DE
VITA HUMANA
CEBES.



HELMSTADII
Typis Jacobi Lucij
ANNO MDCCXCV.

*Cl. et rev. v.
Danieli Saxon
Sic Cathedralis
Stadensis Pas
fauton*

M. S.

